

a sola morbi angustia, an a divina gratia proficiantur. Afflictio namque urgentis morbi futurarum poenarum acerbiter, quæ ipsa morte sunt acrior, ante oculos ponit. Mortis vero impendentis metus, & antea vitæ ratio reddenda, timorem divinæ severitatis incutit. Terrenas autem opes contemnere relicturum, difficile non est. Morbi autem cruciatus, quem solus ille cælestis medicus curare, & hominem ab illa gravi vexatione liberare potest, ipsum Deo subicit atque prosternit, qui solus potest in tantis malis remedio occurrere. Omnes igitur hos affectus, graves & incurabiles morbi, nisi homo mente captus sit, in christiano pectore solent excitare. Sed si cælestis gratiæ virtus desit, quæ hos pios affectus conservet, abeunte morbo, ipsi quoque simul cum morbo abeunt. Sicut enim extincta lucerna, quæ domum illuminabat, lumen etiam cum illa deficit: ita sublata illa causa, quæ hos animi motus excitabat, motus quoque ipsi cum illa evanescent & pereunt. Quam rem quotidie in hujusmodi poenitentibus cernimus, & quasi mani-

bus contrectamus. Recepta enim sanitate illico ad assuetam redeunt; & quæ vel fieri, vel restitui, atque refarciri præcipient, revocant. Quocirca sapientissimus ille arbiter, cui omne cor patet, & omnis cogitatio loquitur; qui (a) spirituum ponderator, qui (b) *discrator est cogitationum & intentionum cordis*; hujus extremæ poenitentiae periculum agnoscens, in quo non res pecuniaria, aut pecuniaria, sed æterna vita in discrimen vocatur, nolens nos in re tanti momenti negligenter agere, toties nos ad vigiliam & sollicitudinem, ac animi preparationem invitatur. Hoc igitur agamus, fratres, in hoc unum totis viribus incumbamus, hoc dies noctesque meditemur, hæc sit prima curarum, primum omnium studiorum atque negotiorum, cui cetera omnia servire debent. Ad hoc enim a summo illo & sapientissimo opifice Deo conditi, ad hoc pretioso ejus sanguine redempti, ad hoc tot beneficiis aucti atque servati, ad hoc denique tamdiu patienter & misericorditer expectati sumus; frustra victuri, si omnia alia agentes, hoc unum negligamus; felicif-

(a) Prov. 16. 2. (b) Hebræor. 4. 12.

sime autem victuri, si ceteris neglectis, vel postremo loco habitis, hoc unum diligenter curemus, unde beatitudo atque felicitas nostra, unde vera salus, & sempiterna vita pendet, quæ vigilantibus ser-

vis parata est. Ad quam nos clementer perducere dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* * * * *

IN FESTO
ALICUJUS S. CONFESSORIS
CONCIO SECUNDA,
IN QUA, POST EVANGELICÆ LECTIONIS
explanationem, octo simplicitatis christianæ
gradus describuntur.

THE. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Luc. XI. 34.

*** N sacra hujus diei le-
* I * ctione, fratres, du-
* * plicem nobis cæle-
*** stis magister lucer-
næ similitudinem proponit:
quarum altera communis ad
totius mundi salutem, altera
privata ad cujusque nostrum
salutem pertinet. Prior illa lu-
cerna, Christus Dominus est,
supra ecclesiæ candelabrum po-
sita, quæ (a) *illuminat omnem
hominem venientem in hunc
mundum*. Quamvis enim is in

hoc præcipue e cælis ad terras
delapsus fuerit, ut peccata nos-
tra in ara crucis expiaret, nos-
que, passionis suæ merito, Patri
suo, a quo dissidebamus, re-
conciliaret; tamen hoc bene-
ficio non contentus, modis om-
nibus salutem nostram pro-
movendam curavit. Inter ea
vero beneficia, doctoris & ma-
gistri officium præcipue nume-
ratur; de quo Isaias olim vati-
cinatus est: (b) *erunt, inquit,
oculi tui videntes præceptorem
tuum,*

(a) Joan. 1. 9. (b) Isai. 30. 20. 21.

tuum, & aures tuae audient vocem post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, aut ad sinistram. Sic etiam Joëi propheta: (a) & filii, inquit, Sion letamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ. Apostolus item: (b) multifariam, inquit, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio; ut divina ejus auctoritate frerî, nulla nos mundi auctoritas, nulla terrenæ prudentiæ philosophia, nulla dæmonum astutia, a veritate, semel ejus auctoritate concepta, dimoveret. Itaque quum adversus pietatis opera, quæ aliquando molimur, terrena prudentia insurgere atque inclamare cœperit, nos fortissimum hunc divinæ auctoritatis murum illi constanter opponamus. Hinc D. Augustinus: ut homines, inquit, fidentius ambularent ad veritatem, ipsa veritas in assumpto homine stabilivit atque fundavit fidem. Hac igitur de causa Salvator noster frequentissime in litteris sanctis, luminis & splendoris nomine designatur. Hinc Isaias: (c) populus, in-

quit, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. Idemque: (d) propter Sion, inquit, non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.

Ceterum Judæi sibi tantum hoc caeleste lumen præluere debere existimabant: ideoque quum viderent Spiritus sancti gratiam Gentilibus opera Petri communicatam, obstupuerunt, ut Lucas ait, (e) ex circumcissione fideles, qui venerant cum Petro, quod in nationes gratia Spiritus sancti effusa esset. Verumtamen Dominus lucernam hanc neutiquam sub modio, hoc est, Judææ tantum finibus continendam esse prædixit, sed supra ecclesiæ candelabrum ponendam; ut non Judæi modo, sed gentes etiam, quæ ecclesiæ domum ingressuræ erant, lumen viderent, ne cæcæ in tenebris ambularent. Quod quidem caelestis Pater de Filio suovaticinatus fuerat his verbis: (f) parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & facies Israel convertendas. Dedi te in

(a) Joëlis 2. 23. (b) Hebræor. 1. 1. (c) Isai. 9. 2. (d) Isai. 62. 1. (e) Actuum 10. 45. (f) Isai. 49. 6.

lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Recte enim Apostolus: (a) an Judæorum Deus tantum? nonne & gentium? Immo & gentium. Nec enim clarissima illa toties promissa, tam diuque expectata salus, Judææ angulo concludenda, sed ad omnes gentium oras quam latissime propaganda erat. Hoc est igitur, quod in sacra hujus diei lectione Salvator ait: nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant: quo videlicet homines intelligant, & a quo conditi, & in quem finem conditi; & quo gressus suos dirigere debeant, hoc lumine colustrati videant.

Quamvis autem hoc lucernæ officium ad Christum Dominum præcipue spectet; ecclesia tamen illis etiam accommodat, qui, ejus spiritu ducti, ipsius in ecclesia officium exercent: de quorum numero sanctus hic existit N. cujus hodie sollempnia celebramus; qui, supra ecclesiæ candelabrum a Domino positus, lucis suæ radios circumquaque diffudit, quibus illuminavit eos, qui in tenebris & in umbra

mortis sedebant.

Occasione vero lucernæ, cui se Dominus comparaverat, de alia privata & singulari lucerna, quæ in unoquoque nostrum est, differere incipit; unde ait: lucerna corporis tui, est oculus tuus: sive, ut alii verterunt, lucerna corporis est oculus. Sicut enim corporea lucerna degentibus in tenebris lucem præfert, qua videant, quid agant, qua via tendant; ita etiam corporeus oculus lucerna quoque est ceterorum ejusdem corporis membrorum. Hac enim luce manus, quid agant, & pedes, quo gressus dirigant, aperte vident. Hinc fit, ut qui perspicue vident, ceteris quoque membris lucem præferant, totumque corpus hujus lucis communionem lucidum ac pæne oculatum sit. Quum autem oculi aut lippitudine laborant, aut plane cæcutiunt, cetera quoque membra in tenebris degunt, atque ita totum corpus redditur tenebrosum. Hac igitur similitudine de corporis oculo constituta, ad mentis oculum, quo præcipue Dominus tendebat, transitum facit. Ut enim oculus lucerna corporis est; ita vitæ operumque nostrorum velut lucerna quædam

(a) Rom. 3. 29.

dam mens est, fide, doctrina, rerumque gerendarum cognitione illuminata. Quæ quidem cognitio, si recta & sincera fuerit, omnibus actionibus nostris lucem præbet, qua, quid sit agendum, quid fugiendum, intelligimus: atque ita demum quum hujus lucis ductum sequimur, totum vitæ nostræ corpus purum, lucidum, & veluti oculatum efficitur. Si vero mens nostra pravis vulgi opinionibus, aut terrena prudentia, falsaque rerum æstimatione, corrupta atque depravata fuerit, aut etiam si ea cognitione, quam habet, ad sui ostentationem, ad lucrum, ad laudem, aut aliquam vitæ commoditatem, non ad vitæ regimen, intemperanter abutatur; tunc, depravata atque obscurata mentis lucerna, totum vitæ corpus redditur obscurum & tenebrosum. Exincta enim lucerna, in tenebris homo degit, atque ita passim labitur & corrumpitur, & in multiplices peccatorum foveas cadit. Ut enim ex puro fonte puri rivuli derivantur; ex turbato autem & canulento turbidi & canulenti: ita quum mentis nostræ lumen cunctorum operum nostrorum veluti fons

& initium sit; efficitur plane, ut fontis puritas aut impuritas in rivulos ab eo deductos transeat.

Quocirca magno studio curandum est, ut hic fons purus, atque hæc lucerna fulgida sit. Quam rem Dominus diligenter unumquemque nostrum providere admonet, quum subdit: *vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebra sint.* Quo verbo, inter alia, hoc etiam monemur, ut rectas atque sinceras de rebus opiniones ac sententias habeamus, ne ex illorum numero simus, (a) *qui dicant malum bonum, & bonum malum: qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem: qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Ex hac enim perversa de rebus opinione, innumera mala oriuntur. Hac enim de causa videmus, perditos homines terrena commoda Deo anteferre, quum propter ea captanda, ejus leges & præcepta nefarie contemnunt. Hac item de causa multi corpus animæ, & corporis commoda animæ commodis atque salutis præferunt: quum tamen immortalis animæ commoda infinitis prope partibus perituri corporis commodis anteferenda sint.

Hac

(a) *Psal. 5. 20.*

Hac item de causa iidem studiosissime quarunt, quæ ad hanc vitam, quæ momento temporis effluit, splendide degendam requiruntur: quæ vero ad illam, quæ felicissima, immortalis & sempiterna est, pertinent, perinde atque ad illam conditi non essent, prorsus negligunt. Hac item de causa summo studio & contentione omnes corporis dolores & cruciatus fugiunt: acerbissima autem gehennæ tormenta, quæ improbis constituta esse fides catholica profitetur, prorsus negligunt atque contemnunt. Unde ergo hæc tanta voluntatum perversitas? Certe ab humanæ mentis ignorantia atque depravatione, quæ, præpostere de rebus judicans, cæcam post se voluntatem in has foveas præcipitat. Recte ergo atque opportune celestis magister: *vide, inquit, ne lumen, quod in te est, tenebra sint.* Quid enim ex his mentis tenebris, nisi tenebrosa vita, consequi poterit?

Contra vero si mens, ab his tenebris libera, rectas de rebus opiniones habeat, earumque judicium in vita sequatur; erit utique vita principio suo consentanea, & ex recto judicio recta quoque vita consequetur.

Tom. III.

Quid deinde? Subdit Salvator: *si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Videtur hoc in loco idem inferri in se ipso; quare alii verterunt sit: *erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore illuminat te.* Quibus verbis modum infert, quo vitæ atque actionum nostrarum corpus, lucidum effectum, nos illuminet: eo videlicet modo, quo corporea lucerna gressus atque opera nostra fulgore suo illuminat. Harum igitur duarum sententiarum hic ordo est. Ex puro mentis oculo, pura quoque vitæ puritas mentis oculum, a quo profecta est, magis purgat atque illuminat. Causæ enim, ut philosophi tradunt, sunt sibi invicem causæ. Itaque mater filiam, & filia matrem perficit & illuminat. Pura enim vita hominem Spiritus sancti templum efficit, in quo ille residens ipsum erudit, dum legis suæ decreta in ejus visceribus & corde, juxta Jeremiæ vaticinium, (a) describit. Pura quoque vita velut purum speculum a sordibus terrenarum cupiditatum defacatum est;

X

quod,

(a) *Jerem. 31. 33.*

quod, Solis justitiæ radiis objectum, tanto efficitur lucidius, quanto fuerit ab omni peccati face purius. Quæ quum ita sint, merito Dominus fulgore ac puritate vitæ, fulgorem mentis perfici & augeri, & velut quædam spiritali lucerna nos præire & illuminare in omni vita ait.

Ex hac igitur divinæ lucis participatione, quam puritate vitæ consequuntur, quanta sit piorum hominum prudentia, intelligere licet. Quo modo enim ii affectiones suas regere, & rerum naturæ atque dignitati accommodare possent, nisi earum prius naturam & dignitatem agnoscerent? Quo modo voluntas nostra flagrantissimo Deum amore supra omnia diligit, nisi tantum de eximia ejus bonitate & pulchritudine agnoscat, quantum diligit? Quo modo terrena bona pro nihilo ducet atque contemnet, nisi quia eorum vanitatem, Spiritu docente, cognovit? Proferam etiam tibi duos eodem fidei lumine instructos homines; quorum alter mille passim letifera crimina sine ullo pungentis conscientia aculeo committet; alter vero prius omnia tormentorum genera subibit, quam unum a-

liquod mortiferum crimen admittat. Unde igitur hoc tantum inter ejusdem fidei & religionis professores discrimen? Certe quia hic, puritate vitæ, cælestisque Spiritus magisterio doctus, funestissimam peccati faciem, horribilemque deformitatem agnoscit. Hoc enim tantum odium ex illo divini Spiritus magisterio profectum est: quo qui carent, in mille passim letalia crimina sine ullo doloris sensu miserrime præcipitantur. Quum ergo recta vitæ institutio in hoc posita sit, ut pii homines expetenda amplectantur, & fugienda omni ratione vitent; efficitur sane, ut illorum quidem dignitatem, horum autem deformitatem prænoscere debeant, quum ad illorum amorem, & horum odium atque detestationem excitentur. Quo nomine Joannes ait, (a) Spiritus unctionem pios docere de omnibus.

Nemo tamen ob hoc sibi ita hanc scientiam arroget, ut non intelligat, pluribus in rebus nos ministrorum ecclesiæ magisterio atque doctrina indigere; quum multa sint a communi hominum intelligentia remota, ab aliis tradenda. Hoc enim modo etiam Spiritus sanctus e-

ru-

(a) 1. Joan. 2. 27.

rudit nos: cujus est, gubernare infima per media; hoc est, majorum doctrina, qui in ecclesia velut lucernæ supra candlelabrum positi sunt, alios instituere atque dirigere. Hactenus de evangelica lectione: nunc sententiam, thematis verbis comprehensam, excutere incipiamus.

§. I.

Si oculus tuus fuerit simplex, &c. Quamvis hoc in loco simplicitatis virtus ad singularem quamdam virtutis rationem contracta sit; ego tamen in præsentī concione de ipsa, quatenus latissime patet, Domino adspirante, dicere institui: quam rem non ingrati vobis futuram spero. Video enim, virtutem hanc in litteris sanctis & sæpe & multum commendari. Dominus enim eximiam beati Job sanctitatem hoc simplicitatis nomine prædicavit. Quum enim satan dixisset, se terram circumfuisse & perambulasse, respondet Dominus: (a) *numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo?* Sic etiam sanctum illum patriarcham Jacob hoc nomine

commendari legimus: (b) *Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Sapiens vero eos, qui Dominum quærunt, hac virtute instructos esse debere, admonet his verbis: (c) *sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Intelligebat enim, quam libenter Dominus simplicium mentes inhabitat; de quibus apud Salomonem quoque legimus: (d) *abominatio est Domino omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio ejus.* Quid vero illud Davidis regis. (e) *scio, Deus meus, quod corda probes, & simplicitatem diligas?* Videtis ergo, fratres, quam multis modis hæc simplicitatis virtus commendetur. Quæ res impulit me, ut paullo diligentius virtutis hujus rationem & naturam indagarem, per quam Deum quærere & invenire poterimus.

Et quidem vulgus hominum, simplicitatis nomine, ignorantiam intelligit. Eos enim, qui parum prospiciunt, simplices appellare solet. Longe tamen aliter hoc nomen in litteris sanctis accipitur. Et quidem aliam esse video simplicitatem erga Deum, aliam erga homines. De

X 2

il-

(a) Job 1. 8. (b) Genes. 25. 27. (c) Sap. 1. 1. (d) Prov. 3. 32. (e) 1. Paralip. 29. 17.